

ribus veniam, ita ut ipsorum peccatorum prorsus obliviscatur; sic Isaia XLIII. 25. *Ego sum, inquit, ego sum ipse qui deleo iniquitates tuas propter me, et peccatorum tuorum non recordabor; et Ezech. XXXIII. 12. Impietas impii non nocebit ei, in quacumque die conversus fuerit ab impietate sua. Jam vero hæc aliæque ejusmodi falsa essent in hypothesi catholicorum. Secundum est superabundans Christi pro peccatis nostris satisfactio non solum quoad pœnam æternam, verum etiam quoad pœnam temporalem juxta illud I. Joan. II. 1. seqq. Si quis peccaverit advocatum habemus apud patrem, Jesum Christum justum: et ipse est propitiatio pro peccatis nostris... Scribo vobis, filii, quoniam remittuntur vobis peccata propter nomen ejus. Tertium demum, quod hanc satisfactionem evertit, est quod nupiam in N. T. pœnitentibus ea injuncta inveniatur. Omnès enim condonationes peccatorum gratuita perhibentur, talis illa publicani est qui descendit de templo justificatus (Luc. XVIII), talis servi cui Dominus omne debitum dimisit, ac ipsam carceris pœnam (Math. XVIII); gratuita pariter Petro concessa est venia, de qua perbelle s. Ambrosius dixit: *Lacrymas ejus legimus, satisfactionem non legimus; gratis concessa est venia paralytico, mulieri pœniti, latroni. Ergo.**

Resp. Neg. Ant. ad 1. prob. Dist. Promisit Deus plenam veniam dare quoad reatum culpæ ac pœnæ æternæ, C. quoad reatum pœnæ temporalis, N. Non aliud sane evincunt illa omnia testimonia quæ congerunt adversarii. Hinc eadem ratione qua retributio pœnæ æternæ non impedit quominus Deus ob bona nonnulla opera a reprobis gesta, ipsis bona temporalia elargiatur, sic dimissio culpæ et pœnæ æternæ non impedit, quominus Deus animadvertat in pœnitentes ob dimissas culpas, pœnis temporalibus (Cf. Bellarm. l. c. cap. 11).

Ad 2. Dist. Si superabundans Christi satisfactio nobis applicaretur independenter a nostris satisfactionibus, C. si dependenter ab istis, N. Porro ut alias ostendimus juxta concilii Tridentini doctrinam sess. XIV. cap. VIII. Pater non acceptavit Christi satisfactionem pro nobis oblatam nisi quatenus nos piis operibus ac satisfactionibus nostris, quæ totam vim hauriunt a Christi meritis eam nobis applicarem (1). Exinde patet optime inter se conciliari satisfactionem Christi et satisfactiones nostras.

Ad 3. Dist. Ob peculiare causas, Tr. quasi excluderetur omnis satisfactio a pœnitentibus in N. Test. N. Peculiare vero hæc causæ potuerunt esse 1. absoluta Christi auctoritas qua solus rex et Dominus potitur, non autem potantur administratores, œconomii et ministri; 2. doloris vehementia ex charitate perfecta concepti quem solus Christus ut pote cordium scrutator cognoscere poterat, nos vero latet. Nec omnitemporale flevisse Petrum et quidem amare toto vitæ suæ tempore, latronem in satisfactionem peccatorum suorum ipsum crucis supplicium patienter toleratum offerre potuisse. De ceteris vero dici potest justifi-

(1) Cf. Tract. de incarn. n. 645.

catos quidem fuisse quoad culpam, minime vero quoad pœnam temporalem de qua Scriptura omnino silet (1).

Ad textum vero s. Ambrosii reponimus satisfactionis nomine ibi significari defensionem, sive excusationem, ut orationis series patet (2).

II. *Obj. 1.* Scripturæ et patres Deum passim exhibent animadvertentem in justos non ad vindictam, sed ad exercitium virtutis. 2. Et recte, siquidem satisfacere Deo homines pro peccatis suis nullatenus possunt; 3. quia offensa Deo illata est quodammodo infinita, finita vero quælibet humana satisfactio; 4. quia satisfactio ex indebitis fieri debet, nihil autem nos habemus quod Deo utpote Domino debitum jam non sit jure creationis, redemptionis et sanctificationis, quodque ei acceptum referri non debeat; 5. quia Christus pœnas peccatis nostris debitas tulit, a quibus proinde liberamur, ut gratuita dici possit justificatio; 6. quia ratio ipsa clamat, quod, sublata causa, tollitur effectus; dimissa igitur culpa, pœnarum nostrarum causa, pœnæ cessent necesse est. Ergo.

Resp. ad 1. Dist. Etiam, C. solum, N. ex allatis enim probationibus contrarium evincitur; optime propterea s. Augustinus sic David Deum alloquentem inducit: *Ignoscis consenti, ignoscis, sed seipsum punienti: ita servatur misericordia et veritas; misericordia, quia homo liberatur; veritas, quia peccatum punitur (Enarrat. in ps. L. n. 11).*

Ad 2. Dist. Meritis propriis, C. meritis Christi et gratuita Dei acceptance, N.

Ad 3. Dist. Est finita satisfactio nostra in se, C. ex meritis Christi, a quibus omnem dignitatem et virtutem hauriunt, N.

Ad 4. Tr. Plures enim theologi id negant; verum hoc omisso, D. Nisi Deus voluerit id quod possumus et ea qua possumus ratione offerre gratuito acceptare, C. secus, N. Jam vero hoc ipso quod Deus a nobis pœnas et satisfactiones ob peccata exposcat, declarat se eas acceptare.

Ad 5. Dist. Absque detrimento earum temporalium satisfactionum quas a nobis Deus exigit, C. liberando nos ab omni onere, N. Responsio patet ex dictis de applicatione. Ad id vero quod subjicitur de gratuita justificatione reponimus, intelligendum id esse de remissione culpæ et pœnæ æternæ, quæ immediate a Deo per Christi merita tribuitur, aut etiam de pœna temporali, quatenus gratis nobis gratia confertur, qua nos Deo satisfacimus congrua pœnitentia.

Ad 5. Dist. Si effectus a causa pendeat ut si vel conservetur, C., si pendeat a causa ut producat in esse permanente, N. Nec enim tollitur vulnus, sublato gladio, aut cessat simulacrum amoto artifice (3).

(1) Cf. Bellarm. de pœnit. lib. iv. cap. 16. n. 6.

(2) Sic enim loquitur s. Ambros. lib. x. in s. Lucam § 88. « Non invenio quid dixerit, invenio quod fleverit: lacrymas ejus lego, satisfactionem non lego: sed quod defendi non potest, ablati potest, etc. » Ex quibus specimen habemus delicate Calvinii conscientie dum sic imponere nititur lectoribus suis.

(3) Cf. Bellarm. lib. cit. cap. 10 et seqq.

PROPOSITIO II. — *Possunt et debent ministri pœnitentiæ salutare et convenientes satisfactiones pœnitentibus injungere.*

Hæc propositio, quæ dogmatica est, profuit ex modo vindicata doctrina, et traditur a conc. Tridentino his verbis: *Debent ergo sacerdotes Domini, quantum Spiritus et prudentia suggerit, pro qualitate criminum et pœnitentium facultate, salutare et convenientes satisfactiones injungere, ne, si forte peccatis conniveant et indulgentius cum pœnitentibus agant, levissima quædam opera pro gravissimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur. Habeant autem præ oculis, ut satisfactio quam imponunt, non sit tantum ad novæ vitæ custodiam, et infirmitatis medicamentum, sed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam et castigationem; nam claves sacerdotum non ad solvendum duntaxat, sed et ad ligandum concessas etiam antiqui patres et credunt et docent (Sess. XIV, cap. 8); quam doctrinam deinceps can. XV idem concilium sanxit: Si quis dixerit claves Ecclesiæ esse datas tantum ad solvendum, non etiam ad ligandum, et propterea sacerdotes, dum imponunt pœnas consentientibus agere contra finem clavium et contra institutionem Christi, anath. sit.*

Patres porro et credidisse et docuisse quovis tempore claves Ecclesiæ concessas a Christo fuisse non solum ad solvendum, verum etiam ad ligandum per salutare et convenientes satisfactiones abunde constat tum ex illorum testimoniis quæ paulo ante attulimus in superiori propositione, tum ex ipsis quæ descripsimus cum ageremus de confessione auriculari. Ex his enim patet patres medicis confessarios comparasse et iudicibus forensibus; ne igitur denuo hæc documenta proferamus, unius s. Innocentii I. verba recitasse sufficiat, qui in epistola quam ad Decentium dedit scribit: *De pondere æstimando delictorum, sacerdotum est judicare ut attendant ad confessionem pœnitentis... actum jubere dimitti pœnitentem cum viderit congruam satisfactionem suam (Cap. VII).* Tot præterea hujus Ecclesiæ fidei ac praxis monumenta extant, quot canones supersunt et libri pœnitentiales, qui regulas hujus imponendæ satisfactionis exhibent (1).

S. autem Thomas ejusdem agendi rationis rationem theologiam assignat dicens: *Quandoque per contritionem amota culpa, et reatu pœnæ æternæ soluto, remanet obligatio ad aliquam pœnam temporalem, ut justitia Dei salvetur, secundum quam culpa ordinatur per pœnam. Cum autem subire pœnam pro culpa iudicium quoddam requiratur, oportet quod pœnitens, qui se Christo sanandum commisit, Christi iudicium in taxatione pœnæ expectet: quod quidem per suos ministros exhibet Christus, sicut et cetera sacramenta (Lib. IV. cont. gent. cap. 72).*

Et hæc quidem adversus protestantes. Addendum porro est adversus jansenistas hanc satisfactionem necessariam præmittendam non esse absolutioni, ut

(1) Cf. Morinum de pœnit. lib. iv. et lib. vi.

ipsi autumant. Quamvis enim antiquitus disciplina obtinuerit, ut non nisi peracta injuncta satisfactione daretur reconciliatio, cum tamen agatur de re libera ac disciplinari quæ non afficit substantiam sacramenti, nonnunquam Ecclesia ab illa praxi recessit. Sane in concilio Carthaginiensi III, an. 225, sub s. Cypriano statutum est, dandam esse absolutionem et eucharistiam instante persecutione, tum iis qui in deserta fugiebant, tum iis denique omnibus concedendam esse pacem, qui vere contriti existimabantur, adeoque nondum persoluta, vel etiam nondum incepta satisfactione (1). Constat præterea a mille circiter et tercentum annis Ecclesiam latinam consuevisse ante completam satisfactionem injunctam pœnitentibus, sacramentalem absolutionem imperitari, eosque ad sacram synaxin admittere (2). Quis porro nisi hæretico spiritu ductus audeat affirmare Ecclesiam tanto seculorum decursu a recto veritatis tramite aberrasse?

Hinc cum Petrus de Osma docuisset, *Non peracta pœnitentia consentientes absolvi non debere*, a Sixto IV. velut hæretica ejus doctrina præscripta est (3), et Alexander VIII. damnavit prop. quæ est n. XVI. *Ordinem præmittendi satisfactionem absolutioni induxit non politia, aut institutio Ecclesiæ, sed ipsa Christi lex et præscriptio, natura rei id quodammodo dictante (4).* Cum vero Quesnellus eandem doctrinam renovasset prop. LXXXVII. *Modus plenus sapientia, lumine et charitate est dare animabus tempus portandi cum humilitate, et sentiendi statum peccati, petendi spiritum pœnitentiæ et contritionis, et incipiendi ad minus satisfacere justitiæ Dei antequam reconcilientur, Clemens XI eam denuo confixit (5).*

Mirum post hæc videri potest quomodo pseudo-synodus Pistoriensis ausa sit eundem errorem instaurare prop. XXXV. his verbis: *Si charitas in principio semper debilis est, de via ordinaria ad obtinendum augmentum hujus charitatis, oportet ut sacerdos præcedere faciat eos actus humiliationis et pœnitentiæ, qui fuerunt omni ætate ab Ecclesia commendati: redigere hos actus ad paucas orationes, aut ad aliquod jejuniun post jam collatam absolutionem, videtur potius materiale desiderium conservandi huic sacramento nudum nomen pœnitentiæ, quam medium illuminatum, et aptum ad augendum illum fervorem charitatis, qui debet*

(1) Cf. Morinum op. cit. lib. x. Nat. Alex. diss. 9. in sec. 5. prop. 2. et seqq.

(2) Cf. Petav. lib. ii. de pœnit. c. 10. §§. 11. 13. et 14. Cf. etiam Morinum de pœnit. lib. vi. cap. 24. Cum quidem Brachet in lib. *Verus pacificus* carpsisset hodiernam hanc disciplinam, Facultas Sorbonica adversus illum librum hoc edidit decretum an. 1644. « Temerarium est, erroneum et hæreticum damnare disciplinam ab omnibus catholicis communionis ecclesiis receptam quantumcumque diuturnam. »

(3) In *Constit.* data an. 1479. apud Hard. *Acta conc.*, tom. ix. col. 1499.

(4) In quam propos. et seqq. 17. et 18. quibus idem error adstruitur Cf. Viva op. cit. *Damnata theses.*

(5) Cf. Fontana in *cont. UNIGENITUS theologice propugnata* t. iii. in hanc propos. cap. 5. et seqq. ubi copiose ac scitu dignissima scribit adversus hanc Jansenistarum thesiam.

præcedere absolutionem: longe quidem absumus ab improbanda praxi imponendi poenitentias etiam post absolutionem implendas: si omnia nostra bona opera semper adjunctos habent nostros defectus, quanto magis vereri debemus, ne plurimas imperfectiones admiserimus in difficillimo et magni momenti opere nostræ reconciliationis? Quæ propositio, Quatenus innuit poenitentias, quæ imponuntur adimplendæ post absolutionem, spectandas potius esse velut supplementum pro defectibus admissis in opere nostræ reconciliationis, quam ut poenitentias vere sacramentales et satisfactorias pro peccatis confessis: quasi ut vera ratio sacramentaria, ut actus humiliationis et poenitentiae, qui imponuntur per modum satisfactionis sacramentalis, præcedere debeant absolutionem, declaratur et proscribitur a Pio VI. in dogmatica Constitut. Auctorem fidei tanquam falsa, temeraria, communi praxi Ecclesie injuriosa, inducens in errorem hereticali nota in Petro de Osma confixum.

DIFFICULTATES. Obj. Nulla penitus satisfactio a sacerdotibus injungi debet, cum hæc agendi ratio Apostoli doctrinam prorsus evertat; etenim 1. Rom. V. 20. ipse aperte docet, quod *Ubi abundavit delictum, superabundavit gratia*; et clarius adhuc ib. VIII. 1. *Nihil, inquit, damnationis est iis, qui sunt in Christo-Jesu. Si nihil*; ergo neque quoad culpam, neque quoad poenam. Quare 3 ad Ephes. IV, 28. nihil aliud a conversis requirit quam novam vitam, scribens: *qui furatur jam non furetur.* 4. Apostoli mentem exponens S. Joan. Chryostomus Hom. XXVIII. in I. Epist. ad Cor. ita præclare scribit: *Non inquit Apostolus, si puniamus, si supplicium de nobis sumamus, sed si dijudicemus, hoc est, si nostra tantum voluerimus peccata cognoscere, si nos ipsos condemnare, liberaremur ab hujus et futuri seculi suppliciis*; 5. rationem vero affert Theophylactus in citata verba ad Ephes. dicens: *Illud enim poenitentia ad forum externum; hoc autem cessatio a vitio ad doctrinam christianam spectat.* 6. Sane nulla apparet ratio cur imponendæ sint in sacramento poenitentiae satisfactiones, cum nulla injungantur in baptisate. 7. Quod si interdum Ecclesia poenas aliquas exegit vel a justis vel a poenitentibus, eas non ut poenitiones exegit, prout infligit justitia vindicativa, sed solum ut certamina et exercitationes in nova vita, atque in aliorum aedificationem. Ergo.

Resp. Neg. A. ad 1. prob. Dist. Quantum ad ipsam gratiæ rationem, ut loquitur s. Thomas, quia magis gratis beneficium remissionis magis peccatori confertur (3. P. q. 86. a. 2. ad 3.), C. ad exclusionem satisfactionis, N.

Ad 2. Dist. Iis scilicet, qui vere consepulti sunt cum Christo per baptismum in morte, seu renatis per baptismum, C. poenitentibus post baptismum subd. Quoad culpam et reatum poenæ æternæ, C. quoad reatum poenæ temporalis, saltem de via ordinaria, N.

Ad 3. Dist. Primum ac principaliter, C. solum, N. (4).

(1) Cf. Bernard. a Picon. *Triplex expos.* in h. loc.

Ad 4. Neg. Nec enim licagit s. Joannes Chrys. de satisfactionibus sacramentalibus de quibus hic nec verbum habet, sed de suppliciis a Deo immissis aut immittendis sive in hac sive in altera vita. Alibi propterea expendens eadem Apostoli verba, Hom. nempe XLI. al. XLII. in Math. satisfactionum necessitatem magnifice prædicat: *Audi, scribit, Paulum dicentem, quoniam si nosmetipsos judicemus non utique judicabimur... et quomodo, inquit, de nobis judicabimur, et a nobis rationes expetemus? Luge, acerbe ingemisce, te ipsum humilia et afflige (1), etc.*

Ad 5. Dist. Ea poenitione, quæ in foro seculari per leges infligitur invito, C. ea poenitione, quæ exigitur in foro conscientie atque a poenitente ultro suscipitur, N. (2).

Ad 6. Neg. Hæc enim assignatur ratio, seu potius disparitas a Tridentinis patribus sess. XV. cap. II. Quia per baptismum nova effimur creatura, plenam et integram peccatorum omnium remissionem assequimur, Ad quam novitatem et integritatem per sacramentum poenitentiae sine magnis nostris fletibus et laboribus, divina id exigente justitia, pervenire nequaquam possumus (3).

Ad 7. Dist. Etiam ob ejusmodi causas Ecclesia poenas illas sanxit, C. solum N. Laboriosa siquidem poenitentiae opera Ecclesia injungere consuevit, tum ut iis divinæ imprimis justitiæ pro admissis peccatis satisfieret, tum ut revocarentur impii a peccatorum consuetudine, tum ut justii perfectiores evaderent juxta cujusque statum. Quod si satisfactio aedificationem tantum respiceret, nulla esset pro peccatis occultis imponenda satisfactio. Optime Leibnitiæ hæc simul complexus est scribens: *Satisfactiones pro peccatis quas quisque vel jussu sacerdotis, vel spontanea pietate suscipit, duplicem vim habent: unam ut animæ medeantur et prophylactica sint contra recidivam; alteram, ut divinam castigationem mitigent, quæ sive in hac vita sive postea ex justitiæ rationibus irrogatur... ac de his satisfactionibus sapienter s. Gregorius M.: Qui se illicita meminuit commisisse a quibusdam studeat licitis abstinere, quatenus per hoc Conditori suo satisfaciatur (System. Theol. p. 278).*

Dices cum jansenianis: si nobis foret in patrum sententiam descendendum, satisfactio necessario præmittenda erit absolutioni. Docent enim ipsi absolutionem esse mercedem, satisfactionem esse pretium,

(1) N. 4. ed. Maur. ἄκουσον Παύλου λέγοντος, ὅτι ἐὶς ἑαυτοῦ κρίνομεν, οὐκ ἐκρινόμεθα... Καὶ πῶς δικάζομεν ἢ ἀπαρτίστομεν ἑαυτοὺς; Δικαιοσύνη; ὁρμήσον, στίναξον πικρὸν, ταναίνωσον ἑαυτοὺς, κάκουσον, κ. τ. λ. Siquidem usque ad finem hujus homiliae sermo est de hoc argumento.

(2) Sensus Theophylacti aperte liquet ex iis quæ immediate subdit invectens adversus Catharos poenitentiam auferentes, ut ait ipse, « Non enim, pergit, satis est a peccato quiescere, sed contraria ei via est adenda, diversum ab eo conficiendum iter. Antea operabatur malum? Jam nunc operetur bonum: neque id simpliciter, verum cum labore, partim quidem ut conterat corpus, etc. καὶ οὐκ ἀλάττω, ἀλλὰ μετὰ κόπου ἕμα πόν, ἵνα συντρέψῃ τὸ σῶμα κ. τ. λ. Cf. ejusd. opp. ed. Venet. 1738. tom. II, p. 405.

(3) Alia ejusdem concilii verba ex cap. 8. quæ id ipsum evincunt paulo ante atulimus.

quo redimuntur peccata. Jam vero mercedis ratio postulat, ut non detur, nisi soluto pretio, nec delictum relaxetur, nisi præmissa solutione. Ergo.

Resp. Neg. Ant. ad prob. Dist. Hæc aliaque ejusmodi patres antulerunt vel rationes congruentiæ juxta disciplinam quæ passim tunc temporis obtinebat, C. quasi significare voluerint, ut adversarii autumant, hunc ordinem præmittendi satisfactionem absolutioni ex Christi institutione, et sacramenti natura servandum esse, N. Alioquin nullam unquam naturam exceptionem fieri hac in parte passi essent, attamen ipsimet passim eam fecerunt. Ex quo solo patet rationem adductam ex natura mercedis et pretii esse latiori quodam sensu accipiendam.

De poenitentia publica et canonica.

Doctrina hactenus a nobis discussa de satisfactione intimo quodam nexu connectitur cum poenitentia publica et canonica quæ olim in Ecclesia obtinuit; opera propterea pretium esse duxi nonnulla veluti scholia hic subjicere eo potissimum animo, ut minus peritos præmuniam adversus Ecclesie perturbatores, qui, ut male cautos in fraudem inducant unam assolent sonare antiquitatem (verbis utor Francisci Simonii), præsentis autem Ecclesie deplorare tenebras et labefactam fidem (1).

Omissis quæ ad varios poenitentium gradus spectant, *fletium scilicet, audientium, prostratorum, et consistentium*, ad eorum stationes et laboriosa opera, de quibus consuli inter ceteros possunt Natalis Alexander (*diss. VII. in sec. 3*). Joan. Morinus (*op. cit. de poenit. lib. IV*), Chardonius (2), potissimum autem Petavii (3), et Sirmondus (4), his, inquam, omissis, observo I. Non esse permissendam, prout passim permiscet jansenista, poenitentiam sacramentalem quæ a Christo præcepta est, ac proinde omnibus est necessaria, uti ostendimus, et poenitentiam canonicam, quam passim recte theologii *ceremonialem* vocant, quæ utpote disciplinæ nec perpetua, nec constans, sed varia fuit pro diversitate temporum, locorum, et circumstantiarum, ac denique antiquata est.

II. Observo non esse pariter confundendam, prout idem novatores et Pistorienses confundunt, poenitentiam canonicam cum poenitentia publica, quæ sub aliquo respectu viguit vel ab ipsa ætate apostolica, licet, ut annotat Petavii (5), ob scriptorum et monumentorum inopiam in magna obscuritate versetur circa ea quæ ad eam spectant, et methodum serva-

(1) It. *op. de fraudibus hereticorum* p. 2. frau. 5.

(2) *Hist. des sacrem.* tom. II. sec. 5. *seconde partie.* Hic porro auctor in epitomen fere redegit quæ fusiùs scripserat Morinus.

(3) In libris vii. *de poenitentia* quos opposuit Arnaldo cujus ops de *frequentia communionis* confutat. Cf. præsertim ad rem nostram lib. II. cap. 11.

(4) *Historia poenit. publicæ.* loc. cit. His addi possent Albaspinus in *Observat.* lib. II. ab observ. 22. ad 34. Marten. *de antiq. eccl.* VII. lib. I. p. 2. cap. 6. art. 4.

(5) Lib. II. e. 2. § 2. et lib. VII. cap. 22.

tam a sacerdotibus in injungendis poenitentis primis duobus Ecclesie seculis. Ideo autem utramque poenitentiam Pistorienses confundunt, ut inferant ex apostolica traditione ordinem poenitentiae canonice repetendum esse, atque sic postea Ecclesie crimini vertunt hujus ordinis mutationem. Merito idcirco a Pio VI. Prop. XXXIV. synodi Pistoriensis proscripta fuit, quæ ita se habet: *Declaratio synodi, qua postquam præmisit ordinem poenitentiae canonice sic ad apostolorum exemplum ab Ecclesia statutum fuisse, ut esset communis omnibus, nec tantum pro poenitione culpæ, sed præcipue pro dispositione ad gratiam, subdit, se in ordine illo mirabili et augusto totam cognoscere dignitatem sacramenti adeo necessari, liberam a subtilitatibus, quæ ipsi decursu temporis adjunctæ sunt; quasi per ordinem, quo sine peracto canonice poenitentiae cursu hoc sacramentum per totam Ecclesiam administrari consuevit, illius fuisse dignitas imminuta, declaratur temeraria, scandalosa, conducent in contemptum dignitatis sacramenti, prout per Ecclesiam totam consuevit administrari, Ecclesie ipsi injuriosa, in Cons. Auctorem fidei.*

III. Observo poenitentiam canonicam non nisi sec. III. labente ex occasione hæresis novatianorum ab Ecclesia institutam fuisse, et quidem ad tria tantum delicta coercenda, idololatriam videlicet, mœchiam, et homicidium (1), nec omnibus indiscriminatim fidelibus, sed certis tantum, ac determinato individuorum cœtui fuisse injunctam; excipiebantur enim ab ea clerici majores, quandoque etiam mulieres et conjugati, juniores, etc. (2); delictorum præterea publicorum reos eisdem fuisse addictos, adeo ut nulli adigerentur ad eam poenitentiam, nisi qui fuerint in jus vocati et juridice convicti, ut passim testatur s. Augustinus, præsertim serm. CCLII. ubi hæc scribit: *Nos vero a communionem prohibere quemquam non possumus, nisi aut sponte confessum, aut in aliquo sive seculari, sive ecclesiastico judicio nominatum atque convictum (3); et demum pro una vice tantum, prout ex veteribus monumentis constat (4).*

VI. Observo cum cl. Marchetti (5) accurate secer-

(1) Cf. Petav. *op. cit. lib. II. cap. 2. n. 2.* et seq. nec non Morinum lib. IV. cap. 1. et seq.

(2) Cf. Petav. *ib. lib. II. cap. 15.*

(3) Alias Hom. L. cap. 4. n. 10.

(4) Semel tantum publicam poenitentiam fuisse concessam inutile prorsus est ostendere, cum id exploratissimum sit. Sed fortasse aliquis non inopportune queret: quid igitur erat de iis, qui semel poenitentia perfacta iterum in eadem peccata lapsi essent? Reponimus statutum esse, eos a dominicæ mensæ convivio in posterum segregari, ea tamen lege ut eis communi restitueretur in mortis articulo. Ea verba s. Siricii ep. 1. ad Himerium Tarracon. n. 6. «De his vero non incongrue dilectio tua apostolicam sedem credidit consulendam, qui acta poenitentia, tanquam canes ac sues ad vomitus pristinos et volutabra redeuntes, etc. De quibus, quia jam suffugium non habent poenitendi, id duximus decernendum, ut sola intra Ecclesiam fidelibus oratione jungantur, sacra mysteriorum celebrati, quamvis non mereantur, intersint, a dominicæ autem mensæ convivio segregentur... Quos tamen, quoniam carnali fragilitate ceciderunt, viatico munire, cum ad Dominum ceperint proficisci, per communionis gratiam volumus sublevari.» Apud Coustant *nom. pontific. epist.* tom. I. col. 620.

(5) *Critica della storia ecclesiastica e de' discorsi del sig. ab. Claudio Fleury,* Roma 1819. tom. I. art. 1. § 6. n.

nendam esse praxim et disciplinam Ecclesiae universalis circa poenitentiam canonicam a praxi et disciplina ecclesiarum particularium, ac proinde canones et decreta Ecclesiae universalis a canonibus et decretis alicujus episcopi vel concilii, vel ecclesiae particularis, et quidem ratione habita diversorum temporum. Haec enim simul omnia permisceri non debent, ut plures solent ea confundere, ut inde statuatur atque definiantur, *Ecclesiae veteris*, ut ipsi loquuntur, disciplinam ita se habuisse circa poenitentias canonicas. Nam si excipias concilium Nicaenum I quod tres canones edidit, quibus poenitentiae addixit solos apostatas a religione christiana, et lapsos in idololatriam, nullum aliud oecumenicum concilium canones poenitentiales condidit, et mira semper viguit in Ecclesia varietas, quod jam pridem animadverterat doctissimus Petavius (1).

V. Denique cum eodem eruditissimo Petavio (*ibid.* lib. II. cap. 8. § 16. 17) observo poenitentiam, qualis nunc viget, esse magis consonam temporibus apostolicis et primitivae Ecclesiae, quam fuerit illa, quae postea invaluit, atque a sanctis episcopis, disertis canonibus postea instituta est, majori aut minori adhibita severitate pro conditione temporum, et indole eorum, qui ejusmodi remediis indigebant.

Quae si praeculis habeantur, facile est querulositas illorum declamationibus occurrere, quibus suspirant ad auream et intemeratam Ecclesiae primae disciplina, quam adeo extollunt, ut eam dejiciant, quae in praesentia obtinet. Haec enim ratione facilius ab utraque, vetere scilicet et recentiori disciplina feriati vivunt; a vetere quidem, quae in desuetudinem abiit, a recentiori quam ipsi contemnunt (2). Inter hos praecipue eminent Pistorienses, quorum propositio XXXVIII. proscripta est, quae ita se habet: *Item doctrina, quae postquam synodus professsa est se non posse non admirari illam adeo venerabilem disciplinam antiquitatis, quae, ut ait, ad poenitentiam non ita facile, et forte nunquam eum admittit, qui post primum peccatum, et primam reconciliationem relapsus esset in culpam, per timorem perpetuae exclusionis a communione, et pace, etiam in articulo mortis magnum frænulum illis injectum iri, qui parum considerant malum peccati, et minus illud timent. Quam doctrinam quis non exhorrescat?*

CAPUT V.

DE MATERIA, FORMA ET MINISTRO SACRAMENTI POENITENTIAE.

Pareus nobis agendum erit de materia, cum nulla sit de ea cum novatoribus controversia. Aliquanto fusius disseremus de forma et ministro ob haereticorum errores et neotericorum falsa principia.

51. et seqq. ubi plura scitu digna inveniuntur circa poenitentias canonicas.

(1) De poenit. lib. II. cap. 8. § 4. et cap. 15.

(2) Apprime congruunt jansenistis quae Jo. Salisburien-sis scripsit de curialibus in op. de nugis curialium lib. VII. cap. 19. « Unde ergo nova et vetera proferunt, qui semper aequae nova et vetera contempserunt? » Cf. in Bibl. max. patrum Lugdun. 1677. tom. XXII. p. 538.

Atque in primis exploratum penes omnes est, duplicem in hoc sacramento dari materiam scilicet proximam et remotam; remotam item aut necessariam aut liberam esse. *Necessaria* materia sunt omnia peccata lethalia post baptismum patrata: materia vero *libera* peccata venialia aut etiam lethalia rite alias confessa. Haec materia remota sive necessaria sive libera est illa, ut loquuntur scholae, circa quam versatur sacramentum. Verum de hac nulla viget in scholis controversia. Ast non minima viget inter thomistas et scotistas relate ad materiam proximam ex qua constat sacramentum. Utriusque scholae theologo admittunt tres esse hujus sacramenti partes *contritionem, confessionem et satisfactionem*, quas partes, sive actus conc. Tridentinum *quasi materiam* hujus sacramenti esse dixit, quia nempe, ut exponit Estius (1), materia hujus sacramenti non est aliquid corporeum aut elementare cujusmodi sunt aqua, oleum, panis, etc. sed actiones, quae idcirco non ita proprie materia vocari possunt. Thomistae igitur contendunt praefatos hos tres actus esse *proprie dictam* materiam proximam ex qua conficitur sacramentum. Scotistae censent absolutionem a sacerdote poenitenti impertitam veram esse materiam proximam, quatenus est ritus sensibilis, et habere praeterea rationem formae quatenus significat effectum sacramenti. Maldonatus vocat sententiam vero thomistarum *communem*, sententiam vero scotistarum *veriorum* (2). Recte ne an secus hoc iudicium tulerit doctus hic auctor, nostrum non est pronuntiare, expendi poterunt rationum momenta apud utriusque scholae theologos.

Et haec de materia. Quod attinet ad formam, protestantes autumant eam non esse nisi declarativam remissionis peccatorum, non autem ejusdem effectivam, verum hos refellemus peculiari propositione. Ceterum omnes theologo in eo conveniunt, ut affirmant eam consistere in verbis illis, *ego te absolvo a peccatis tuis* (3). Praescindendo a positivo Ecclesiae praecocepto, perinde esse videtur quoad ejus substantiam eam sive oratione *indicativa*, sive *deprecativa* exprimeret. Exploratum enim est ex certissimis antiquitatis documentis per plura secula non aliam obtinuisse in Ecclesia latina nisi formam deprecatoriam, cui paucis an. ante s. Thomam successit forma *indicativa* (4), adhuc vero in Ecclesia graeca formam deprecatoriam obtinere certissime pariter constat ex eorum euhologiis apud Goarium et Arcudium, aliisque passim (5).

(1) In 4. D. 15. § 2. in resp. ad ult.

(2) In Tract. de poenit. p. 3. Thes. 7. ubi fuse de hoc argumento disserit.

(3) Dum dicimus formam in adductis verbis consistere, loquimur de substantia ipsa seu sensu. Nec enim contentinus singula verba ad essentiam pertinere. Sunt enim qui censent non pertinere ad essentiam vocem *ego*, alii verba subsequencia *a peccatis tuis*. De his consuli poterunt scholastici.

(4) Cf. opusculum XXII. s. Thomae cap. 8. ex quo id non obscure colligitur.

(5) Cf. Goar. in Euhologio pag. 676. Arcud. de concordiis, etc. lib. IV. cap. 5. Non pauci scholastici inter quos Suarez cum s. Thomae tom. IV. in 5. p. disp. 19. sect. 1. n. 23. praecipue vero Simonnet *instit. Theol.* I. m. tract.

Ut nonnulla de ministro delibemus, error protestantium est, quemlibet fidelem clavium potestatem a Christo accepisse. Waldenses, wicleffitae et hussitae potestatem absolvendi tribuebant laicis probis, denegabant vero sacerdotibus praxim; flagellantes juxta Baluzium eodem errore detinebantur. Sub finem seculi elapsi nonnulli Ecclesiae perturbatores contendere ausi sunt tum approbationem episcopalem ad valide excipiendas confessiones non consistere in jurisdictione, sed in solo *capacitatis et idoneitatis* testimonio, tum confessarios omnes vi ordinis ab omni casu reservato sine licite, saltem valide absolvere posse (1). Pistorienses, ut par erat, illorum sententiam fecerunt suam, atque in hoc turpiter secum pugnant, siquidem jura, quae non solum dubia, sed prorsus episcopis indebita sunt iisdem impense alias concedunt, hic vero, quae sunt certissima ab ipsis praesulibus auferre totis viribus contendunt.

His igitur sive haereticis sive erroneis doctrinis sequentes propositiones opponimus, quibus huic tractatui finem facere constituimus.

PROPOSITIO I. — *Absolutio sacramentalis sacerdotis est actus judicialis et non nudum ministerium pronuntians et declarandi remissa esse peccata confitentis.*

De fide est his ipsis verbis definita a Tridentino sess. XIV. can. IX. *Si quis dixerit absolutionem sacramentalem sacerdotis non esse actum judiciale, sed nudum ministerium pronuntians et declarandi remissa esse peccata confitentis, modo tantum credat se esse absolutum...*, anath. sit.

Ita vero ejus veritatem ostendimus: si in Ecclesia, uti ex hactenus disputatis constat, potestas residet dimittendi cujusvis generis peccata per poenitentiam sacramentum, consequens est absolventem sacerdotem vere reconciliare Deo peccatores judiciali auctoritate a Christo accepta. Sane Christus dum sacramentum poenitentiae instituit, dixit: *Quorum remisistis, etc.*, non autem *quorum declaraveritis* peccata esse

15. de poen. disp. 8. contendunt essentiali formam consistere in verbis indicativis, ita ut nulla prorsus ac irrita sit forma verbis deprecativis enuntiata. Simonnet praeterea negat unquam viguisse in Ecclesia latina formam deprecativam. Ast certo certius est nullum vestigium occurrere formae indicativae in Ecclesia latina ante an. 1200, nec aliam quam formam deprecativam obtinuisse et adhuc obtinere in Ecclesia graeca, ut evincunt omnia documenta quae affert Morinus de poenit. lib. VIII. cap. 8 et seqq. quibus nihil solidi opponit Simonnet, qui Morinum refellere aggressus est. Documentis a Morino adductis adjici debent quae postea protulit Martenius de antiq. Eccl. ritib. lib. I. p. 2. cap. 6. ar. 5. § 12. et art. 7. cum de facto agitur, monumentis decertandum est, non rationibus philosophicis.

(1) Ita docuerunt Aloysius Liuta in epist. Della sacramentale assoluzione de' casi riservati; Jo. Bapt. Guadagnini in op. Nuovo esame di alcuni testi del concilio di Trento relativi all'assoluzione de' casi riservati, ed all'approvazione de' confessori. Georg. Sicardi can. Eccles. ca. thed. Montisregalis in op. Della validità delle assoluzioni dei peccati data in virtù del suo ordine sacerdotale, senza verun'altra facoltà ed approvazione. Cornaro praepositus Villungi in Etruria in op. De' parrochi libri sette. Pavia, 1788. Quibus plures accesserunt auctores anonymi, quorum inutile est catalogum texere. Verum his omnibus praeverant in Galliis auctores opp. Des pouvoirs légitimes du premier et au second ordre dans l'administration des sacrements et des gouvernements de l'Eglise. Dissertation sur les interdits arbitraires. 1739.

remissa. Hinc quemadmodum non dicitur sanare vulnus, aut vincula solvere, qui alteri tantum denuntiat vulnus esse sanatum, aut vincula esse soluta, ita nec potest dici illum remittere peccata, qui tantum denuntiat ea esse remissa. In obvia porro, et nativa significatione vocem *remittere* usurpatam esse a Christo eruitur ex vers. immediate precedenti: *Sicut misit me Pater et ego mitto vos*. Pater vero misit Redemptorem ut vere peccata dimitteret, uti reipsa vere remisit paralytico, et mulieri peccatrici, quod etiam commonstrant querimoniae et murmur phariseorum: *Quis potest dimittere peccata nisi solus Deus?* Haec vero exostulationem non solum non correxit Christus, sed potius confirmavit, restituta per miraculum paralytico sanitate, dicens: *Quid est facilius dicere... Dimittuntur peccata tua, an dicere: surge et ambula?* Haec omnia praeterea confirmantur, ut paulo ante animadvertimus, ex metaphora *clavium*; claves porro alicui traduntur non ut declaret ostia clausa aut aperta esse, sed ut ea reipsa aut aperiat, aut claudat (1), cum igitur Christus claves tradidit apostolis, significavit ipsis revera tribuere potestatem peccata aut remittendi aut retinendi, non autem solum declarandi illa esse aut remissa aut retenta.

Id ipsum conficitur ex auctoritate patrum quorum testimonia superius attulimus. Ex iis enim edocemur 1. Christum delere peccata, per poenitentiam ministerio sacerdotum; 2. sacerdotes sedere iudices in tribunali poenitentiae; 3. illorum sententiam coeli sententiam anteire; immunditiam ab anima procul arcere; solvere peccatorum vincula; sacerdotes praestare Angelis et Archangelis quibus haec potestas collata non est. Haec autem aliaque ejusmodi lusorie pronuntiarentur, si decretorium non esset, sed solum declaratorium sacerdotum iudicium (2). Controversia demum quae viguit inter catholicos atque montanistas et novatianos sec. II. et III. circa ecclesiae potestatem in remittendis peccatis evidenter id ipsum adstruit. Ridicula plane fuisset haec controversia si actum tantum esset de potestate declarandi peccata esse remissa vel non remissa.

DIFFICULTATES. Obj. 1. Vox *dimittere* aut *remittere* interdum denotat meram peccati relaxati declarationem, ut patet ex Luc. VII. 48, dum Christus dixit

(1) Mirum esse non debet si Christus utatur vocibus *solvendi* aut *ligandi* dum loquitur de clavibus, dummodo ratio habeatur usus serae quae obtinebat penes Hebraeos. Sera enim non erat nisi pessulus ligneus volubilis valvae portae affixus, qui ingrediebatur in foramen postis, et incisus quibusdam dentibus incidebat in rostrum; quare lorum, aut fortasse duo lora pessulo annexa, per foramen permeabant in exteriorem portae faciem, quorum altero attracto, pessulus serae in foramen postis promovebatur, et dentibus in illud rostrum incidebat, ut retrahi non posset. Aperiens habebat clavem ligneam satis magnam et instar falci aduncam, qua per foramen immissa, pessulum ex rostro sublevabat, et alteri lora subtraheret, quod ut facilius perficeret attrahebat ad se portam clavem ex metallo confecta et nonnunquam ansa eburnea ornata auro monarchiae Hebraeae a dispensatore domus regiae, tanquam insigne sui muneris, in humero gestabatur. Is. XXII. 25. cf. Jahn. Archaeol. biblica § 57.

(2) Cf. Morin. de poenit. lib. VIII. c. 1. ubi luculentissimis testimoniis patrum, aliisque monumentis ex ecclesiastica historia petitis ostendit qui semper fuerit Ecclesiae sensus circa vim et efficaciam absolutionis sacerdotalis. Cf. etiam Sirmondi Hist. poenit. public. cap. 11.